

V c  
3532





V c  
3532



h. 2, 67.







1804  
1805  
1806  
1807  
1808



2167.

1.322.

ORATIO

IN  
NATALEM SEPTUAGESIMUM  
SERENISSIMI ET POTENTISSIMI  
PRINCIPIS AC DOMINI,  
DOMINI

JOHANNIS  
GEORGII  
DUCIS SAXONIÆ, JULIACI,  
CLIVIÆ AC MONTIUM, S. R. I.  
PRÆFECTI-PRÆTORIO, ET  
ELECTORIS &c:

Patris Patriæ optimè-merentissimi: Nutritij  
Ecclesiæ & scholarum munificentissimi,  
clementissimi:

habita

*in illustri Gymnasio Saxo-Hennebergico, ipso SERENITATIS  
ejus Natali die Anno M. DC. LIV.*

à

DANIELE LENCERO Ronneburgô-Misnico,  
Rectore.

ARNSTADII,

*Excusa Typis PETRI SCHMIDII*



ORATIO

IN  
NATALEM SEPTUAGESIMUM  
SERENISSIMI ET POTENTISSIMI  
PRINCIPIS AC DOMINI

DOMINI

JOHANNIS

GEORGII

DUCCIS SAXONIAE JULIAE

CLIVIAE AC MONTIUM. S. R. L.

PRAELECTI PRATORIO, ET

ELECTORIS &c.

Patris Patriae optimae-meritissimae: Nutricij

Eccliae & scholae universitatis

clementissimae:

habita

in illustri Gymnasio Saxo-Hannoverico ipse SERENITATIS

die Martii die Anno M. DC. LXX.

DANIELS LENCNERO Ronneburg-Misnico,

Rector.

ARISTADII

Leugis J. PETRI SCHMIDII





SERENISSIMO ET POTENTISSIMO  
PRINCIPI AC DOMINO

DN. JOHANNI  
GEORGIO,

DUCI SAXONIÆ, JULIÆ, CLIVIÆ AC MONTIUM,  
SACRI ROMANI IMPERII PRÆFECTO PRÆTORIO ET ELECTO-  
RI, LANDGRAVIO THURINGIÆ: MARCHIONI MISNIÆ  
ET UTRIUSQUE LUSATIÆ,

BURGGRAVIO MAGDEBURGENSI, COMITI MARCHÆ ET RAVENS-  
PURGI, DYNASTÆ IN RAVENSTEIN &c:

DOMINO MEO CLEMENTISSIMO

GRATIAM ET PACEM DEI IN CHRISTO IESU:

SERENISSIME, POTENTISSIME ELECTOR,  
DOMINE CLEMENTISSIME,



*L*uxit Annus Seculi superioris octuagesimus  
quintus Inclytissima Domui Saxonicae DEI  
gratiã longè auspiciatissimus, sunt enim trime-  
stria illius ferè singula singulis DEI beneficiis  
conspicua. Quintò Martij die, TU ELE-  
CTOR SERENISSIME lucem hanc pri-  
mum aspexisti, sequente statim per sacrum Ba-  
ptismum Ordini Christiano ascriptus honore longè majori, quàm  
quò Rudolphus Imperator eodem anno in Ordinem Aurei Velleris  
est cooptatus. Trium mensium intervallò, Junij scilicet die triges-  
mo nascitur Johannes V Vilhelmus, Friderici V Vilhelmi Saxo-  
nia Ducis Filius ex Sophia V Wirtembergica, priore Coniuge. Tertij  
post mensis Septembris videlicet die vigesimo sexto nuptias in arce  
V Velphorum celebrat Henricus Julius Brunsvicensis, Halbersta-  
diensis & Mindensis Episcopus, cum Dorothea Serenissimi Electoris  
Saxonie CHRISTIANI I. Patris Tui sorore illustrissima.

Triplex quidem gaudium, nec tamen, quæ est rerum humana-  
rum vicissitudo, perfectum. Statim enim, ut à novissimo progrediar,  
in sequente mense Octobri ejusq; primo die sponsa mater ANNA

A 2

Chri-

Christiani III. *Dania Regis Filia, A via tua serenissima ex hac vita beatè migravit, hanc ponè sequutus elapsò sesquianni spaciò Johannes V Vilhelmus, & velut Noaa Columbula, eò unde venerat reversus, caelo suo redditur.*

*Multiplicem ex duplici morte luctum TU solus ELECTOR SERENISSIME divinà clementià superstes solabaris, manifesto indiciò, percepturam ex tua virtute volventibus annis Domum tum Electoralem tum Ducalem Saxoniam gaudium, solatium, incrementum. Nec falsa est expectatio. Quemadmodum enim Illustrissimus Princeps Fridericus V Vilhelmus dolorem ex obitu Filioli conceptum levare poterat Tuæ incolumitatis vigore, Andromaches verbis, quoties tutela te sua concreditum aspexit, uti visus:*

*O mihi sola super Jani Wilhelmuli imago  
sic oculos sic ille manus sic ora ferebat,  
& nunc equali tecum pubesceret aeo:*

*Ita temporis progressu ex TE, quasi communi fonte, tota Domus Saxonica irrigata, & quâ parte marcorem passura videbatur refecta, exhilarata, adificata pristinum splendorem recepit. Quamobrem TE Familia Inclytissima cum tanto Nepotum Illustrissimorum numero Patriarcham suum devotè veneratur.*

*Ob felicitatem hanc Subditi gaudent, deq; ea Gymnasium insigni Principum Hennebergicorum munificentia plantatum, Tuâ verò SERENISSIME ELECTOR, Tuorumq; Beatissimorum Prædecessorum, & reliquorum Saxoniae Ducum Cellissimorum, rigatum & conservatum tenui hac oratiuncula me interprete hoc Tuo NATALI DIE gratulatur, perennitatem seriò apprecatâ. Hanc ELECTOR SERENISSIME humilima venerationis piissimæq; devotionis nostræ tesseram, ut & Gymnasium hoc Saxo-Hennebergicum vultu benigno respice, votisq; quæ pro Tua totiusq; Familiae Saxonicae Serenissimæ salute fundimus quotidie Reip. Christianæ bono frueri quàm diutissime. Schleusingæ V. Martij, anno Christiano M DC LIV.*

TUÆ SERENITATI

*devotissimus*

Daniel Lencerus Gymn. Rector.

I. N. S. T. A.

VIR GENEROSE, MAGNIFICE, ORTU  
& arte Nobilissime, Domine CAROLE à FRIESEN

in Röthau & Teckwitz / Consiliarie Cameralis Electoralis Saxonice, Proprinceps  
& Curator supreme Saxo-Hennebergice, Mecenas Reip. literariae Opt. Max. Viri  
pl. Reverende, Experientissime, Excellentissimi, Dnn. Professores Illustris  
hujus Gymnasii: Vosque ceteri, quotquot adestis Auditores  
omnium ordinum honoratissimi,  
lectissimi:

**D**ei illius, quàm primùm lucis hujus usuram  
frui incipimus, antiquissimam esse celebrationem, & lon-  
gis retrò seculis frequentari solitam, nemo nisi in historico-  
rum monumentis planè hospes ignorare potest. Univer-  
sa Sicilia, & præcipuè Syracusani natalem Timoleontis fe-  
stum habebant, quod & hoc die in lucem esset editus, & in-  
signiores sibi victorias & Patriæ contra hostes peperisset. Si-  
mile quid de *Carolo V.* referunt, cujus natalis Matthiæ Apostolo dicatus sem-  
per faustus, Ticinensi Victoriâ latissimus, & inauguratione Bononiensi illustris  
extitit. Idibus Augusti Servi & Mancipia ferias quotannis agitabant Romæ  
in honorem Servii Tullii, qui hoc die ex Ancilla natus erat, & postmodum ex  
hac infima conditione ad Regni fastigium elatus. Adrianus Imperator spe-  
ctacula suo natali die populo gratis dedisse scribitur, quibus ita magnus bestia-  
rum numerus cæsus, ut simul leones centum, ac totidem lænæ sint confectæ.  
A qua tamen ratione alii abhorrentes, natales Magnorum Virorum, qui benè  
essent de Rep. meriti, mero, libis, floribus, & thure, sed absque victimis cele-  
brare maluerunt, ne scilicet lucem adimere aliis eo die viderentur, quò ipsi lu-  
cem hanc longè suavissimam aspexissent. At enim vero quia è Gentilismo  
in populum Dei hæc videtur festivitas introducta: nec ullius, nisi duorum Re-  
gum, eorumq; impiorum, Pharaonis scilicet & Herodis natalia festa in sacris  
litteris annotantur: DEUS præterea ipse Israelitas hoc nomine graviter repre-  
hendit, quod Reges sua malitia exhilarârint, & clamârint: Dies est Regis no-  
stri: ipsi verò Principes incaluerint vino, & Rex extenderit manum ad illuso-  
res: ideò indignam homine Christiano esse Natalis diei celebrationem non  
pauci contendunt. Cui verò sententiæ suam ut adjiciant calculum impetrare  
à se non possunt, qui scorias ab auro discernere, preciosum separare à vili, resq;  
suò æstimare valore didicerunt. Quid enim dignius nobis Christianis quàm,  
cum quovis tempore, tum verò ipso Natali die gratias agere illi, qui, cum in ab-  
dito lateremus, primum vitæ spiraculum nobis immisit, postmodum verò ex  
utero matris extractos luce hac clarissimâ frui concessit, qui in peccatis conce-  
ptos Baptismi lavacro regeneravit, qui totius insuper ætatis nostræ curriculum  
curâ paternâ dirigit, ac singulorum annorum labores, officia & æumnas sic  
moderatur, ut semper felicem illæ exitum sortiantur? Quid ad prudentiam  
Spiritualement, sive, ut cum Viro DEI loquar, ad cor sapiens acquirendum expe-  
ditius, quàm vitæ humanæ considerare & brevitatem & fugacitatem, dies

Probus in ejus  
Vita.

Jovius in Pom-  
pejo. Column.

Dion. Nicæus.

Gen. XL, 20,  
Math. XIV, 6.  
Marc. VI, 27,  
Hof. VII, 5.

Psal. XC, 13.

B

com-

computare, horas & momenta in numero habere, ut ratio semper constet & temporis hactenus male impensi, & deinceps in honorem DEI, & proximi utilitatem melius impendendi? Quid denique ad veram pietatem excitandam efficacius, quam seriis precibus invocare DEUM, ut suam nobis gratiam porro adesse, corpus & animam regere, vivum robur & sanctos motus instillare, omnia verò noxia clementer avertere dignetur? Hac scilicet ratione qui Natalem & suum & aliorum celebrat, & cum amicis lætum transigit, nec conscientiam lædit, nec DEUM offendit. Neque enim à Gentilibus hoc pietatis opus, sed è sacris literis DEO autore didicimus, quanti sit creationis beneficium æstimandum: Nec Propheta Natalis diei festivitatem simpliciter damnat, sed abusum reprehendit, quod, quæ officii debebat esse commonefactio, plerisque impietatis & intemperantiæ, nonnullis & crudelitatis fiat occasio. Nihil ergò à pietate alienum, aut ordini nostro minùs congruum facturos nos confidimus, si hoc ipsò die *Natalem Serenissimi Potentissimi Electoris Saxonie Johannis Georgii, Principis ac Domini nostri Clementissimi, Nutritij Gymnasij hujus nostri munificentissimi, eumque septuagesimum* scholasticam gratulatione celebremus. Votis addebant Veteres munera, docet id Poëta:

Guid. Pancir.  
lib. 11.

Juvenal.

D. Thumm.  
Tractat. de  
Fest. p. 102.

Durand. Ra-  
tional. lib. 6.  
cap. 53. §. 8.  
Hospinian. de  
Festis Christi-  
an. pag. 50. §. 1.

Æneas Sylv.  
c. 52. Histor.  
Boëm.

Johann. Slei-  
dan. Com-  
ment lib. 4.

Idem lib. 1.

Syrac. L., 8.

— — succina mittas  
grandia, Natalis quoties redit.  
Nos quod habemus, depromimus. Pauperis sumus horti custodes, fructum ergò horti, *ROSAM*, hoc *Rosarum die* è plantario nostro decerptam offerimus, non qualem vepretum Ausonium peculiari fortean Veneris (cui & *Rosa* & *Roma* sacra) privilegiò gignit. Quis enim ignorat vestrum, *Auditores*, solere quartam hac *Quadragesimali* Dominica à Romano Pontifice *Rosam auream* preciosis odoribus delibutam inter *Missæ* solennia quotannis consecrari, quam iste sacris peractis Principi alicui Christiano aut præsentem offert, aut absentem mittit, in singularis sive favoris indicium, sive honoris symbolum. Hanc in victoriæ ab Hussitis reportatæ brabeum *Sigismundo Imperatori Eugenium IV.*: In inscriptionis contra *B. Lutherum* adornatæ præmium *Heinrico VIII. Angliæ Regi Alexandrum VI.*: Hanc in odii contra eundem *Lutherum* concipiendi fuscitabilem, sed frustra, *Friderico Saxonie Duci & Electori Leonem X.* misisse, historiæ superiorum temporum attestantur. Habeat suas sibi rosas Pontifex Romanus, naribus Paparum quam Principum conventiores, nôrunt hi, *en οκλινες πόδα & φέρον*, nec tantam impediuntur aut oculorum lippitudine, aut narium obesitate, ut nec rosam ab anemona, nec à mephyti ambrosiam discernere possint. Meliori & fragrantiori rosam dignus est *Serenissimus noster Elector*, flos ille rosarum in media senectutis hyeme vernantissimus, qualem dum in honorem *hujus diei* concinnare, & ex immensis DEI beneficiis, quasi foliis quibusdam suaveolentissimis contexere divinam fretus gratiam instituo, *Vos, Auditores*, devotè, humiliter, officiosè oro, ut de maximis rebus tenuiter dicentem benevolè audire, & quam meam balbutie non possum, vestram vos attentione solennitatem huic conventui conciliare, diemque hodiernum efficere festivorem ne dedignemini.

Est ergò dies Mensis hujus quintus, piâ meritò congratulatione excipiendus, quò *Serenissimus Elector noster* annò superioris seculi octuagesimo quinto, horam nocturnam decimam serenissimis Parentibus, Christianò ejus nominis primò, Saxo-

Saxoniae Electore, & Sophiâ verè-Sophia, Johannis Georgii Marchionis Brandeburgici Electoris potentissimi, Assertoris puræ Religionis, (vel solâ Libri Concordiæ subscriptione teste) laudatissimi Filiâ Dresdæ feliciter natus, magnam toti Reip. Christianæ: majorem Inclytissimæ Domui Saxonicæ: maximam Celsissimis Parentibus attulit lætitiâ. Quantum verò ex nativitate illius gaudium perceperit Avus maternus Illustrissimus, vel inde liquet, quod hujus potissimum nomen Infanti Illustrissimo Baptismi Sacramentò Christo Jesu inserto imponere visum fuerit, certè non sine omine: absque dubio enim præsignificare voluit Divina Providentia, quanta sint DEI in Infantem Illustrissimum adultiorem aliquando factum beneficia & χάρισμα, quanta item hujus in Remp. Christianam merita futura, Illa enim *Johannis*: Hæc *Georgij* appellatione significari manifestius est, quàm ut multis ostendatur. Illa nunc penitiùs considerabimus, visuri cum DEO insignia beneficia, clarissimaque Gratia divinae signa *Electori nostro Serenissimo* divinitus exhibita, è quorum cumulo (sunt enim plurima) ea saltem delibabo, quæ & eminentiora sunt, & *Serenissimo nostro Electori* quasi propria. Verè enim & longè rectiùs de nostro Heroë, quàm Tullius de Pompejo, possum asserere, neminem unquam tam impudentem fuisse, qui à DEO immortalis tot & tantas res tacitus auderet optare, quot & quantas DEUS immortalis ad *Sereniss. Saxon. Electorem Johannem Georgium* detulit, quod ut illi proprium ac perpetuum sit, Auditores, eum communis salutis atque Imperii, tum Ecclesiæ Scholarumque causâ velle & optare debemus. Magnum & rarum DEI beneficium, hac præsertim effectâ mundi senectâ, læta & prospera vitæ longævitas, quam quidem optant omnes, solus verò DEUS æternus præstat, testatur id suavissima promissio quarto Decalogi præcepto annexa, & ardentissima Regis Davidis precatio psalmo sexagesimo primo annotata: Tu DEVS audisti orationem meam, dies supra dies Regi adjicies: annos ejus usque in generationem & generationem. Eam verò *Sereniss. Elector* adeptus est Divinâ gratiâ, repletus enim dierum longitudine germinat in ipsa senectâ, floret ut palma, sicut cedrus Libani multiplicatur,

Psal. XCII, 13.

Circumstant niveæ cygnorum tempora plumæ,

Sed manet in mediis os roseum nivibus.

Solent comitari senectutem calamitates plurimæ, & est illa velut ara quædam malorum, ad quam omnia confugisse videmus, ut ait Comicus. *Μακροδωρὸν αἰὼν συμφορῶν ποτὶς ἔχει μάλιστα τὴν πικρὴν νόσον*, Ætas longa plurimas affert calamitates & ægritudines parit infinitas, verba sunt Euripidis. Hinc vino similis esse vita nostra videtur, cum superest modicum, in acetum convertitur. Et hæc causa est, quamobrem senectus, ut habet Menecrates, optatur omnibus, si quando autem venerit, incusatur & futura semper melior. Quanquam verò *Serenissimi nostri Electoris* senectus ab omni omninò incommoditate immunis statuenda non sit, ejusmodi tamen est, ut in eam planè convenire videatur, quod habet quadam in epistola Hieronymus: Eorum, inquit, senectus, qui Adolescentiam suam honestis artibus instruxerunt, & in lege divina meditati sunt die ac nocte: ætate fit doctior, usu tritior, processu temporis sapientior, & veterum studiorum fructus dulcissimos metit. Meritò, ergò tantò DEI bonò gaudet *pientissimus Princeps*, deque eo gratulantur subditi, utpote ad quos

Antiphan. apud Stobæum. Euripides.

Epist. 2. ad Nepot. Tom. I. pag. 13. C.

quos maximæ inde utilitates redundant. Sunt certè provectioris ætatis Magistratus munimenta & fulcra firmissima, quibus unis & solis Ecclesiæ, Scholæ, Republicæ, Oeconomix, Familiæ, omnia nostra sustententur, semoveri illa & ruere non possunt, ut singula non eodem labefactata motu pessum eant & concidant. Pulcrum est, nec minùs verum Vetustissimi Ebræor. Ben-Syræ, quem Jeremiæ fuisse nepotem ajunt, proverbium: **בביתא סבנא** Senex (proprie Septuagenarius) in domo, **בביתא טובא סימנא טובא** signum bonum in domo. Cum enim prudentiâ ad res feliciter gerendas opus sit, illam verò experientia pariat, quis non videt, senum consiliis negotia quævis felicissimè administrari, precibus & crebrioribus & ferventioribus mala cervicibus jam impendentia sæpè averti, aut saltem sufflamine quasi quòdam subjectò retineri, concessæ à Deo & multis meritis paratæ autoritatis jubare periculosas surgentium tempestatum minas disjici ac dissipari? Testantur id exempla, affirmat experientia, loquuntur historiæ à sacris & prophanis scriptoribus consignatæ. Et non in memoria tantùm hærent superioris seculi: Sed & ob oculos etiamnum versantur nostri temporis mutationes gravissimæ, quæ sunt justò DEI judiciò mortem piorum senum in Ecclesiastica & Politica Hierarchia consequutæ. Stilico Comes Honorii Imperatoris Administrator Ambrosium in agone videns sublatâ voce exclamavit: Tantò virò de corpore recedente interitus imminet Italia: Leontius Veteris Ecclesiæ Doctor in consultatione de rebus gravibus habitâ protensis digitis canos capitis sui ostendens, hac nive liquefacta, dicebat, multum erit luti: subsecutum utrinq; historiæ & eventus comprobârunt. Si videris senes in civitate interire, præsagium est, malum eventurum huic civitati, Ebræorum est sententia. DEUS enim civitati seu Reip. calamitatem immissurus aufert ab ea viros bonos: aufert, ut habet Scriptura S. sustentaculum & fulcimentum, fortem bellatorem, Principem, Judicem, Prophetam, Senem. Id verò ne nobis obtingat, tantum longævitatatis *Serenissimi Electoris nostri* beneficium à DEO concessum gratis mentibus agnoscamus, debitum verò honorem venerandæ canitiei exhibeamus. Quisquis honorat senes, itidem verba sunt priscorum Ebræorum, perinde est, ac si honoret DEVM sanctum, benedictum, nisi enim senes essent, mundus non consisteret. Ipse DEVS honorandos senes nobis commendat, quin & *ἀγνάστοι πρῶσι παλαιότερος ἀνδρώπης*, inquit Poëtarum antiquissimus Homerus. Ideò *γέρας* quod eximium honorem, & *γεραίρειν* quod venerari significat *ἀπὸ τῶν γερόντων*, à senectute ejusque præstantia Græcis dicitestantur Eruditi. Imprimis omni caveamus studiò, ne impietate nostrâ exacerbatus DEUS *columnam hanc* salutis & publicæ & privatæ incumbenti subtrahat, ardentissimis quoque suspiriis DEI misericordiam imploremus, ut vigorem in ipsa senectute novum sufficiat, ut de nostris ipse augeat annos, ut vivere salvum, incolumem & superstitem in seros dies jubeat. *Tua enim, ô Elector Serenissime, Pater Patriæ meritisime, Tua vita, nostra vita: Tua salus, nostra salus: Tua incolumitas, nostra incolumitas.* Primo huic divinæ misericordiæ beneficio arctissimè conjuncta & quasi inserta est felicissima, & per annos quadraginta tres & amplius continuata *Regiminis Electoralis* duratio, eò majore admiratione & accuratiore consideratione digna, quò illa rarior in Familiis Illustribus. Ut enim sicco pede alias jam prætereamus, *Electorale sal-*

Paulus in Vita Ambrosii Tom. 1. Nicephor. lib. 9. c. 24. Hist. Eccles. pag. 424.

Comment. Ebræ. in sententias Ben-Syræ. Esa. III, 1. 2.

Comment. in BenSyr. Levit. XIX, 32.

Iliad. 23.

Is. 4. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31. 32. 33. 34. 35. 36. 37. 38. 39. 40. 41. 42. 43. 44. 45. 46. 47. 48. 49. 50. 51. 52. 53. 54. 55. 56. 57. 58. 59. 60. 61. 62. 63. 64. 65. 66. 67. 68. 69. 70. 71. 72. 73. 74. 75. 76. 77. 78. 79. 80. 81. 82. 83. 84. 85. 86. 87. 88. 89. 90. 91. 92. 93. 94. 95. 96. 97. 98. 99. 100.

saltem Amphitheatrum Saxonicum perlustrabimus, ut curriculò singulorum Beatissimæ recordationis Electorum & nonnullorum Ducum hujus Familiæ ordine perpensò, magnitudo beneficii *Electori nostro Serenissimo* à DEO concessi plenius cognoscatur. Primum hic se offert *Christianus II.* Frater *Sereniss. Electoris* nostri, cujus Regimen Electorale non integrò decenniò absolvitur. *Christianus* verò I. Potentissimi *Electoris nostri* Pater & ipse Elector sextò gubernationis anno decessit. Ad trigésimum tertium usque Regiminis annum progressus est Avus *Augustus* Elector, qui omne Imperii sui tempus, omnia consilia ad pacem firmandam, Ecclesias dotandas, scholas conservandas, pupillos & viduas sustentandas immortalis nominis sui gloriâ contulit, Elector & Princeps verè Augustus. Hujus Frater *Mauritius*, *Electoris nostri* Patruus magnus, terror ille maximorum Europæ atque Asiæ Monarcharum rebus maximis brevi temporis cursu feliciter peractis quasi alter quidam Alexander M. duodecimo Regiminis anno emigravit. Quorum Pater *Heinricus Electoris nostri Proavus*, Princeps religiosissimus non ipse quidem Elector, sed *Electoris Friderici II.* Nepos pulcherrimum pietatis & constantiæ præmium retulit annorum videlicet quadraginta imperium. Hujus Pater *Albertus* eodem cum Fratre *Ernesto* plagiò à Cunrado Kauffungo puerili ætate abductus, insignis Heros, & ob res fortiter gestas Imperij Dextra: ab aliis Rolandus & Germanorum Hercules nuncupatus: à Bohemis quoque ad Regnum vocatus, triginta sex annos Regimini præfuit. Nec plures ejus Parens *Fridericus II.*, qui ob insignem *Præsentis* studium *Placidi* nomen meruit, *Electoris nostri* Atavus ad clavum Reip. sedisse scribitur. Hos unico superavit anno *Fridericus I.* Elector, ob fortitudinem variis bellis iisque extra Imperii Romani limites gestis, & pro defensione Christianæ Religionis in Livonia susceptis conspicuam *Bellicosi* encomiò honoratus, Academia Lipsiensis conditor, à *Sigismundo* Imperatore primus in sua Familia Elector creatus & titulo Ducis Saxonie insignitus. Sed quorsum hæc narratio? quorsum? ut intelligamus, Auditores, neminem tantâ esse eloquentiâ neque tam divinò atque incredibili genere dicendi, qui magnitudinem multitudinemque beneficiorum, quæ in *Serenissimum Electorem nostrum* præ cæteris omnibus Divina Benignitas contulit, non modò dignâ celebrare gratiarum actione, sed enumerare aut consequi possit. Providentiæ Divinæ est, quod navicula Reip. Christianæ tot fluctibus totò hoc quadraginta trium annorum decursu agitata ab hoc Navarcho prudenter gubernata portum pacis immensò DEI beneficiò plenâ prosperaque velificatione subierit: Misericordiæ, quod toto hoc tempore, quod tres Imperatores Romanos, aliquot Reges & Electores, plures Principes ac Duces absument, incolumis ille servatus fuerit, quodque tantis superstes motibus laborum exantlatorum fructum nunc capere possit uberrimum; Quem verò ut publicæ & privatæ rei commodo capiat quàm diutissimè seriis votis optamus & precamur.

Ad Auctoritatem *Serenissimi nostri Electoris*, planeque singularem dignitatem, quæ pertinere visa sunt, hæctenus delibavimus: Ad ea progredimur, quæ individuas senectutis seu pedissequas seu comites, molestias varias tenere sola & possunt & solent, ad Illustrissima Conjugij annorum ferè quadraginta octo placidissimi pignora. Magnū DEI immortalis beneficium, vitæ longævitas: Majus Imperii diuturnitas: Maximum *in rebus* & conjugii fecunditas. Ipse Spi-  
ricus

G. Fabric. Orig. sig. sax. on. lib. VII. pag. 770. Idem ib. p. 830. Idem ib. p. 802. Id. lib. VII.

PL. CXXVIII, ritus Sanctus beatum prædicat, cujus uxor sicut vitis fructifera in lateribus domus, cujus Filii sicut rami olivarum in circuitu mensæ. Quanquam verò non

In Iphigen.  
Taur.

PL. CXXVII, 5.

Menand.  
Herodor. lib.  
1.

potentis, talibus qui implevit pharetram suam, beatus à Spiritu Sancto pronun-

ciatur. Quod si rectè educati Parentum expectationi respondeant, quid est

amplius, quod hac in mortalitate optari à quoquam debeat aut possit. *Εὐδα-*

*μονίας τῶν ἑστίν, ἧς ἔχων.* Solon à Cræso Lydorum Rege opulentissimo,

quem vidisset unquam beatissimum omnium rogatus, Tellum nominavit Athe-

niensem, quod in Rep. bene instituta filii ei essent honesti & boni, eorumque

singulis liberi, hique omnes superstites. Rogatus alterà vice, quemnam se-

cundum ab illo vidisset, Cleobin ille respondit & Bitonem Argivos, qui, ut deli-

derio Matris, quam die festo Junonis ad templum bobus junctis ferri omninò

oportebat, fatisceret, exclusi tempore jumentis frustra ex agro expectatis ju-

gum ipsi subierunt, tractoque quò Mater vehebatur plaustrò, per quinque &

quadraginta stadia ad Templum, Viris quidem Filiorum consilium: Fœmi-

nis verò Matris felicitatem collaudantibus, pervenerunt. Quò verò loco *Sere-*

*missimi Electoris nostri* felicitatem habendam esse putabitis, *Auditores*, cujus Fi-

lii Illustrissimi salutaribus præceptis & piis monitis sibi ab adolescentia svaserunt,

nihil esse post Divinum cultum magnopere expetendum, quàm laudem

& honestatem; qui tantò amoris filialis affectu *Celsissimos Parentes* prosequun-

tur, ut amabile quàm quoddam certamen eà de re suscepisse videantur. Com-

mendant Historici Attali Pergamenisum Regis Filios quatuor, qui Matrem

summo honore prosequuti utrâque manû inter se mediam in templa & per ur-

bem splendidò comitatu ducere consueverunt. Decantent Poëtæ Æneam

Anchisæ Filium, qui captò & incenso Iliò, aliis cunctis facilè neglectis, Parentem

senio fessum eripere properavit, hoc usus alloquio pietatis pleno:

Ergò age care Pater, cervici imponere nostræ,

ipse subibo humeris, nec me labor iste gravabit,

quo res cunque cadent, unum & commune periculum,

una salus ambobus erit.

Laudibus extollant Amphinomum & Anapium Siculos,

sudantes illos venerandò pondere Fratres

præcipuò meritos semper honore coli,

qui urbe Catanâ Ætnæ vicinæ flammis incensâ, cum pernicitate pedum evade-

re potuissent, Parentes tamen decrepitos cervicibus impositos, ut præstantissi-

ma bonum per medios Ætnæ sævientis ignes tulerunt maximo cum vitæ dis-

crimine, & luculento virtutis suæ testimonio. Celebrent Scriptores Cornelii

pietatem, qui quod Patrem luminibus carentem pro baculo regeret, Scipio co-

gnominatus nomen & cognomen posteris reliquit: Admiramur nos & meri-

tò admiramur specimen Filialis amoris & pulciora & certiora ex recenti no-

strorum temporum historia petita: Quem non afficiat consideratio raræ illius

& memorabilis obedientiæ, quâ *Friderici* Norinbergensis Burggravii Stirpis

præsentis Familiz Electorum Brandenburgicorum Filii quatuor, *Johannes: Fri-*

*dericus*

Zving. the-  
atr. Volum.  
XVIII. Lib. 2.  
fol 3323.

Virgil. Æne-  
id. II.

Jovian. lib. 2.  
de obedient.  
Aristotel. de  
Mundo c. 6.  
circ. fin. Valer.  
M. lib. V. c. 4.  
Claudian. e-  
pigr.

Macrob. lib.  
1 Saturnal.  
cap. 6.

Chytr. Sa-  
xon. lib. 1.  
pag. 39.



*dericus Marchio cum ferreis dentibus ob industriam in rebus gerendis appellatus:*  
*Albertus Friderici Placidi Electoris* Gener, Achilles ille Germanicus: & *Fridericus* II. incredibilem Patri lætitiā, sibi verò famam immortalem pepererunt?  
 Quem non delectet recordatio insignis illius amoris & reverentiæ, quā *Celsissimi*  
*mi Duces Saxonie* Fratres quatuor: *Johannes Fridericus* II. *Johannes Wilhelmus*:  
*Johannes Ernestus*: *Johannes Fridericus* III. Patrem *Johannem Fridericum* I. ad  
 beatum usq; vitæ ipsius finem (quem hic ipse superioris seculi annus ei attulit)  
 constanter sunt in utraque fortuna prosecuti. Insignia, & verè Germanò nomine  
 digna, omnemque ad posteritatem commemoranda Filialis amoris exempla!  
 quibus si tertium *Celsissimorum Principum ac Ducum Saxonie, Filiorum Electoris*  
*nostri Illustrissimorum quatuor* addidero, perfectum officii Filialis ternionem  
 complexus esse mihi videor omni posteritati vel eò imprimis nomine commen-  
 dandum, quod Concordiæ fraternæ, Familiæ Saxonicæ ferè propriæ, laudem  
 à laudatissimis prædecessoribus acceptam conservare, & ad posteros magnā  
 Incrementi accessione transmittere Heroës inclytissimi studeant enixissime.  
 Pleni sunt omnes libri, plena historicorum monumenta rerum laudabiliter à  
 Saxonie Ducibus & Electoribus gestarum, quibus sunt immortalem gloriam  
 adepti, sed nullā re, si à Religionis purioris amore recessero, & crebrius & di-  
 ligentius celebrari eos videmus, quàm Concordiæ Fraternalis studiò. Quod si  
 ex mente Philosophi non fratrum modò, sed & patruelium, consobrinorum  
 & quorumvis aliorum cognatorum amor primariò ex communi generis origi-  
 ne & naturali ortus æqualitate proveniat, ecquis dubitabit insignem hanc fra-  
 terni amoris prærogativam non fortuitò, sed divinā planè providentiā incly-  
 tissimæ huic Domui Electorali obtigisse? utpote quæ ex communi *Matre*  
*Catharina Hennebergia Principis Heinrichi Filia, Friderici Strenui Thurin-*  
*gia Landgraviæ Coniuge* prognata, quanquam in diversas Familias divinā  
 benedictione disseminata, amicissimæ tamen unius Hennebergicæ Di-  
 tionis *ovæ exiæ* vinculo quasi fraternā quadam contesseratione in hunc  
 usque diem continetur. Matrem hanc fecundissimam nunquam intue-  
 or, quin in mentem mihi veniat Gallinæ illius Augustæ, cujus mentionem  
 Suetonius Scriptor emendatissimus & candidissimus facit in ipso Servii Sulpitii  
 Galbæ frontispicio, Liviæ olim, inquit ille, post Augusti statim nuptias Vejen-  
 ranum suum reviventi prætervolans aquila gallinam albam ramulum lauri ro-  
 strò tenentem, ita ut rapuerat, demisit in gremium: cumque nutrirī alitem,  
 pangique ramulum placuisset, tanta pullorum soboles provenit, ut hodiè quoq;  
 ea villa ad Gallinas vocetur: tale verò lauretum, ut triumphaturi Cæsares inde  
 laureas decerperent. Nobilis hæc ales & felix! Sed nobilior longè & felicior  
 Gallina illa Hennebergica, (eò enim elogiò Proaviam suam *Fridericus Sapiens Ele-*  
*ctor* honorasse scribitur, quoties celebrem Germaniæ Apellem Lucam Crana-  
 chium in effigie illius penicillò exprimenda occupatum videret, his scilicet ver-  
 bis usus: Tu verò fac alacrem mihi & pulcrā hanc Gallinam ponas, optimis  
 enim ovis illa Domum Saxonicā beavit) Nobilior est, inquam, ab ipso enim  
 DEO in Saxonie gremium non lauri sed rutæ germen rostrò gerens deposita  
 non Tiberios nobis, non Caligulas, non Neronas dedit: Sed pios & veros veri  
 DEI cultores, Ecclesiæ non persecutores sed assertores: Patriæ non turbato-  
 res sed defensores, eosq; numero plurimos, potentiā maximos, clementiā opti-  
 mos, quin & Regiā autoritate conspicuos, & Imperatoriò diademate dignos  
 habi-

Sleidan. Com-  
 ment. lib XIX.  
 Jacob. Aug.  
 Thuan. Hist.  
 lib. IV. p. 190.  
 Sleid. lib.  
 XXV. Thuan:  
 lib. XIII p. 612.

Aristot. Ethic.  
 cor. Nicom. I  
 Lib. VIII. c. 12.

Fabric. Lib.  
 VI. Orig. Sax.  
 p. 674. Span-  
 genb. Chron.  
 Henneb. Lib.  
 V. cap. 11.

Albinus  
 Chron. Misne  
 Tit. 15. pag.  
 200. Spang.  
 Chron. Hen-  
 neb. lib. V. c. 12.

bus do-  
 rò non  
 ntibus:  
 em pat-  
 pidem,  
 n manu  
 ronun-  
 quid est  
 Rodae-  
 iffimo,  
 t Athe-  
 umque  
 nam se-  
 ut deli-  
 mmino  
 atis ju-  
 nque &  
 Fœmi-  
 co Sere-  
 jus Fi-  
 a svase-  
 audem  
 equun-  
 Com-  
 matrem  
 per ur-  
 Eneam  
 entem  
 evade-  
 antissi-  
 tæ dis-  
 ornelij  
 bio co-  
 meri-  
 nti no-  
 æ illius  
 Stirpis  
 s: Fri-  
 dericus

habitos. Felicior præterea, Illa periit. Novissimò enim Neronis annò & sylva  
 omnis exaruit radicitus, & quicquid ibi gallinarum erat, interiit: Hæc Fami-  
 lia Saxonica inserta annos supra ducentos & quinquaginta per DEI gratiam  
 viget: hortus ruta confitus floret: domus ipsa pullorum incrementò splendet:  
 vigebit, florebit, splendebit ad ipsum usque Regis Summi adventum: Ita pre-  
 camur, ita vovemus. Illius gloria quantumvis maxima, Tiberii tamen intem-  
 perantiâ, Caligulae prodigalitate, Claudii stultitiâ & crudelitate, Neronis im-  
 manitate, aliisque sceleribus, mutuisque diffidiis contaminatur: Hujus verò  
 laus cum omnî virtutum genere effulgescit, tum verò Concordiæ Fraternalis stu-  
 diò magis magisque illustratur, ut veros Castores & Polluces ex ovo progna-  
 tos, adeoque felicissimos albæ Gallinæ filios hic agnoscas. Porrò Benevolenti-  
 æ hujus Fraternalis exempla cum sint memoratu dignissima, nec minus *Illustris-  
 sime Familia Saxonica* honorifica, patiamini quæso, *Auditores*, ut digressi unculâ  
 usus aliquâ perlustrarem, eiq; illis eminentiora ex hoc loco paulò altius repetam.  
 Insignia virtutis hujus commoda *Fridericum Bellicosum* & DEI Verbò & Expe-  
 rientia superiorum temporum magistrâ edoctum probè intellexisse, oratio te-  
 statur suprema ad *Fridericum & Wilhelmum Filios* ab ipso habita, ejusque hæc  
 imprimis particula: Vobis servandæ Patriæ munus atque cura incumbit Filii,  
 quam facillè servabitis pietate erga DEUM, & mutuâ inter vos animorum, vo-  
 luntatum, sententiarum conjunctione. Bella intestina omni ratione fugite,  
 mutuâ autem caritate & benevolentia vos amplexamini: quod erit vobis vin-  
 culum non modò quietis, sed etiam salutis. Nec ullius unquam hostis poten-  
 tia nocuit concordibus inter se & fidis hominibus. Amate igitur invicem vos  
 & hanc monitionem paternam cum animis vestris quàm sapiissimè repetite.  
 Pulcra sanè & efficacissima apud posteros adhortatio, cui nec Sciluri illa apud  
 Plutarchum, nec Changii Chami primi Tartarorum Regis apud Sabellicum  
 ullo modo conferenda. Hic non est, quod quis paulò curiosior fraternalis dissi-  
 dia inter *Fridericum & Wilhelmum Filios* coorta obvertat, fatis quidem &  
 difficilia illa & exacerbata, quæ est fraternalium inimicitiarum natura,  
 χαλεποὶ πόλεμοι ἀδελφῶν καὶ, οἱ τοὶ πέρεσ σέρεξαντες, οἱ δὲ καὶ πέρεσ μισῶσι, difficilia  
 bella fratrum, & qui nimium amant, oderunt nimium, verba sunt philoso-  
 phi. Arte quæ compacta sunt, solutò glutine colligari rursus ac coire  
 possunt; Corpus autem quod natura univir, si rumpatur aut scindatur, difficul-  
 ter conglutinatur aut coalescit. Ea verò quantacunq; etiam fuerint, non tam lau-  
 datissimorum Principum genio, quam Consiliariorum privatae simultati esse  
 imputanda exitus probavit. Certè si utrinq;, quales suâ *προσφωνήσῃ* antè lauda-  
 tâ Pater prudentissimus commendârat & descriperat, consultores, ab avaritia  
 & crudelitate alienos habuissent, tantis difficultatibus aut implicati planè non  
 fuissent, aut certè ex iis citius cumq; minore jactura emerisissent. Igniculum e-  
 nim fraterni affectus gravissimis etiam civilium armorum turbis hautquaquam  
 extinctum ostendit *Friderici Electoris* pia indignatio, quâ temeritatem militis  
 globò bombardico Fratrem se trajecturum pollicentis detestatus, Fratri ut par-  
 ceret, severè imperavit, quâ unicâ voce concordiam pristinam revocavit, suavis-  
 simum *Placidi* cognomen inde consecutus. Hujus ut & aliarum virtutum ge-  
 nuini fuere hæredes, *Ernestus & Albertus Fratres, Friderici Filij*, qui cum simul  
 ambo imperarent, & alter honore alterum prævenire ambiret, dici non potest,  
 quàm jucunda inter ipsos consuetudo, quàm dulcis & venerabilis consensus fue-  
 rit.

Natal. Com.  
 Mythol. Lib.  
 VIII. c. 9.

G. Fabric. O.  
 rig. Saxon. lib.  
 VII. pag. 702.

Plutarch.  
 ἐξ ἀδολεῶν  
 pag. 511. C.  
 Sabellicus  
 lib. VI. Enn. 9.  
 Haiton. Ar-  
 men. de Tar-  
 tairis.

Fabric. lib.  
 cit. p. 707. &  
 seqq.  
 Aristot. Po-  
 lit. lib. VII. c. 7.

Plutarch.  
 ἐξ φιλα-  
 δελφ. p. 481.

Fabric. lib.  
 cit. pag. 765.

Fabr. lib. cit.  
 p. 799.

rit. *Albertus* Fratrem nunquam sine honoris præfatione appellabat: idq; ejus tri-  
 buebat cum ætati, tum amplitudini: *Ernestus* contra ut minori omnia *Alberto* de-  
 ferebat, & ipsum honorabat propter prudentiam, & sibi præferebat propter ani-  
 mositatem & heroicam totius corporis præstantiam. Vivebant in una ambo  
 arce cum uxoribus & liberis ad annos aliquot tantâ animorum conjunctione, ut  
 nulla planè similtas, nulla controversia, nulla querela non modò inter ipsos, sed  
 ne inter conjuges quidem & Familiam toto illo tempore audiretur. Hos amu-  
 lati feliciter sunt *Fridericus III.* & *Johannes Fratres*, inter quos mutus amor à te-  
 neris unguiculis efflorescens, amicâ cohabitatione obfirmatus, in eorum senecta  
 communibus in periculis & gravissimis deliberationibus adeò crevit, ut de arca-  
 nis rebus omnibus inter se deliberarent: omnia in Rep. communicatis sententiis  
 constituerent. Concordiam ejusmodi Fraternali Sartam rectam conservare stu-  
 dit *Serenissimus Elector noster Johannes Georgius cum Fratribus, Christiano II. & Au-  
 gusto.* Publicò elogiò & quasi programmate quodam Mundi valvis affixo testa-  
 tur id *Christianus II. Elector* pietissimus his verbis Libro Concordiæ præmissis:  
 Scimus (DEO sit Laus & gloria) quod Illustrissimi Principes ac Domini, Domi-  
 nus *Johannes Georgius* & Dominus *Augustus*, Duces Saxonix Fratres nostri exopta-  
 tissimi nobiscum hac in causa Religionis, ut & aliis per omnia consentiant. His  
 non fuere inferiores Celsissimi Saxonix Duces *Fridericus Wilhelmus* & *Johannes*  
 Fratres conjunctissimi, sed cum sua ipsorummet, tum Filiorum Celsissimorum  
 Concordiâ felicissimi semper habiti. Quantâ enim benevolentia Illustrissimus  
 Saxonix Dux *Fridericus Wilhelmus* Fratres tres, *Johannem Philippum: Fridericum:  
 Johannem Wilhelmum* nunc Beatisimos profecutus fuerit, recordamur non sine  
 lætitia plerique: quanta item inter duos ex undecim superstites Fratres *Wilhel-  
 mum & Ernestum* Saxonix Duces Illustrissimos vigeat animorum conjunctio, sci-  
 mus magna cum oblectatione omnes. Nec mirum alicui videri debet, quamo-  
 brem huic virtuti tanti Heroës tantopere debiti semper fuerint, Eam ab ipso Deo  
 suavissimâ additâ promissione seriò sibi commendatam verbò DEI edocti optimè  
 noverunt, in communibus ergò adversitatibus, statu præsertim Ecclesiæ & Reip.  
 turbato solatii ac refrigerii loco esse voluerunt, ubi & animi eorum ex confuso  
 strepitu reficerentur, & aures lamentationibus afflictorum defessæ conquiesce-  
 rent. Nec exultandum est, resistere eos hostibus potuisse in tanta offensionum  
 varietate, nisi animos præcumpresidio: fortunas suas Concordiæ Fraternali scuto  
 obfirmassent, aut tantas ferre contentiones, nisi mutuâ benevolentia pectora re-  
 laxassent. In hæc & his similia intuentes exempla Illustrissimi Ducis *Filij Serenis-  
 simi Electoris* Dilectissimi concordii conversatione mutuoque amore exhilarare  
 Patrem laudabili æmulatione student, inque id conjuncta operâ enituntur unice,  
 ut pulcerrimum Fraternali Concordiæ decus à Beatisimis Prædecessoribus sibi  
 relictum pari laude tueantur & conservent. O virtus his Filiis, ô Felicitas hoc  
 Patre digna! Apollonidem Cyzicenam Eumenis Regis Matrem ac trium præte-  
 rea Filiorum Attali, Philæteri & Athenæi prædicasse subinde se beatam, diisque  
 egisse ajunt grâtiâs, non propter divitias vel imperium: Sed quod tres Filios vide-  
 ret natu maximi esse satellites, eumque in medio ipsorum gladios hastasque fe-  
 rentium absque metu versari. Sed ô misera filiorum Concordia, Pietatis basi  
 quæ non fundatur! Meliori jure beatos se prædicant, Deoque gratias persolvunt  
 Parentes *Serenissimi*, qui PIAM CONCORDIAM, veram φιλαδέλφειαν, ἡδείαν il-  
 lam, καὶ μακαρίαν τοῖς γένεσι γρηγορόφων, suavem & beatam senectutis parentum

Phil. Melanch.  
 Tom. II. de  
 clam. orat. de  
 Johanne Sax.  
 Duce pag. 737.

Pf. CXXXIII, 1.  
 Syr. XXV, 20.

Plutarch.  
 ἐπι φιλα-  
 δελφ. p. 480.

Plutarch. ibid.

D

nu-



nutricem vigere inter *Filios quatuor Illustrissimos* maximo cordis oblectamento vident, indeque ipso Spiritu Sancto interprete largam divinæ benedictionis ubertatem in subditos redundaturam, regnique incolumitatem prospero successu ad æternæ usque Monarchiæ initium duraturam certo augurantur. De tanto ergo bono quis non gratuletur *Serenissimo Electori* hoc præsertim die? quis non lætitiæ hujus intaminatam diuturnitatem feriis votis Patriæ Patri Opt. Max. comprecatur? Sed nec minorem lætandi causam suppeditant *Nepotes Illustrissimi* in gaudium Reip. Christianæ, in solatium Ecclesiæ, in spem Familiæ Saxonice progeniti, inque iis recentissime proximò abhinc mense natus ex illustrissimis Parentibus *Friderico Wilhelmo & Magdalena Sibylla Serenissimi Electoris nostri Filia*,

Hymn. in Apollin.

Χαίρει δὲ τε πότνια Λητώ  
ἄνεκα τοῦ Φόρον καὶ κάρτερον ἦδ' ἔπικτυ.

Barnab. Brisson. de Formul. Lib. 1. p. 59. 60. Rosin. Antiq. Rom. lib. 11. c. 6. pag. 250. B. Chemnit. Exam. Concil. Trid. part. III. de Invoc. Sanct. p. 302. Ps. XXII, 10. Ps. CXXVII, 1. Psal. CXIII, 9. De Civ. DEI Lib. VI. cap. 9. Tom. V. Ps. CXXXIX, 5.

Homerus de Latona Apollonis matre jam facta canit: Illud verò longè rectius de Puerpera Illustrissima, de Patre, Avo & Avia Serenissimis, totaque Familia Saxonica Celsissima efferimus, inque gratulationis & gaudii societatem debitam animorum subjectione prompti venimus. Ethnica impietas Junoni Lucinæ: Papalis superstitio D. Margarethæ & parturientium curam precibus commendat, & prole natam hymnos concinit: Nobis tu DEUS solus es, qui reducis nos ex utero materno, Tibi ergò soli gratias persolvimus, qui ædificas domum, laudamus nomen tuum ô Domine, qui habitare facis sterilem in domo Matrem filiorum lætantem, sit nomen tuum benedictum in secula. Matri post partum tres Deos custodes adhiberi credebant Ethnici, ne Sylvanus Deus per noctem ingressus turbas excitet, ut ex Varone Augustinus refert; Vanitas! Impietas! Tu DEUS es, qui creas, qui sustentas nos, tuam nos misericordiam imploramus, ut recens-natæ Illustri Proli Angelorum custodiam adjungere, mala cuncta ab illustrissimo puerperio averruncare, Parentes Serenissimos salvos & incolumes servare, lætitiâ ex hoc tuo munere conceptam indies augere, imprimis verò Illustrissimum hunc Surculum gratiâ tua fovere digneris, ut in arborem & proceram & ramos longè lateque extendentem excrescat, umbram Ecclesiæ, scholis, totique subditorum turbæ gratissimam præbiturus. *χαρισματα* hæc sunt divina, omni prædicatione majora: sed nec inferiora sunt quæ restant, non enim dignitatem tantum *Serenissimi Electoris nostri* illustant, nec in sola subsistunt jucunditate, utilitatem præterea conferunt non privatam illam, sed in universam Remp. largiter exundantem. Sunt verò Belli sublatio, & Pacis postliminiò reductæ donatio, quò unico beneficio DEUS splendidissimum *Serenissimi Electoris nostri* Regimen efficere augustius, & quasi peculiari quodam gratiæ suæ symbolo insignire voluit. Solemus, postquam pacis munere jam fruimur, sæpè ante oculos ponere, idque libenter crebris usurpare sermonibus; omnes Saxonice Ducum res gestas, omnia Electorum à primo Religionis repurgatæ momento merita cum iis, quæ præsertim in proxima Regiminis *Serenissimi Electoris nostri* tempora incidunt, nec negotiorum magnitudine, nec periculorum varietate, nec laborum multitudine, nec dissimilitudine consiliorum, posse conferri, quod quæ in cæteris omnibus singula, in nostro omnia concurrere videantur. Reformationem Papalis Idolomaniæ ministerio B. Lutheri (DEO dirigente) susceptam suâ & sapientiâ & providâ curâ strenuè promovit *Fridericus III.* eique per Academiae Witebergensis erectionem viam quasi stravit: *Johannis Electoris* Herois ac Ducis Sanctissimi auspiciis Ecclesiæ tenebris Papatus plus quam Cimmeriis oppressæ splendor per ultimam illam Con-

Chytr. Saxon. lib. V. fol. 128. Sleidan. Comment. lib. VII.

Confessionis Augustanae tubam in universum orbem Christianum est diffusus, quam secuta est Fidei prius toti propè orbi exosissimæ libera per universum Imperium Romanum divulgatio. Quantum damni Regno Pontificio *Johannes Fridericus Elector* constanti Libri Interimistici repudiatione: *Mauritius Elector* Passaviensi de pace Religiosa transactione intulerit, notius esse reor, quàm ut multis repetatur. Præclare de Ecclesia DEI meritis est *Augustus Elector* publicatò Christianæ Concordiæ libro, quò Confessio Augustana repetita, declarata, vindicata: Ipsa verò Ecclesia nitenti, paci ac tranquillitati pristinae restituta. Nec inanem navavit operam puritati Religionis conservandæ *Christianus II.* Elector munificentissimus, dum ejusdem Concordiæ Libri patrocini- um magnò Spiritu suscepit, ejusque lectionem diligentiorum cum omnibus sub- ditis tum verò Scholarum & Ecclesiarum ministris seriò commendavit, mediis u- sus salutaribus, quibus improbis fraudulentorum conatibus & clandestinis moli- tionibus efficaciter resisteretur. Magna hæc omnia, fateor, & longè majora, quam ut cujusquam mentè aut cogitatione percipi possint: quæ verò in *Serenissi- mi Electoris* nostri incidunt tempora, longè sunt maxima, hinc quasi in centro quo- dam concurrunt omnia, quæ singulos particulariter antè fatigârunt. Sapientiâ: Constantiâ, Magnanimitate: Pietate: Fortitudine: Munificentiâ opus fuit ad negotia Imperialia triplicis Vicariatus tempore rectè tractanda: ad redintegran- dam confraternitatem: ad controversias maximi momenti tam Politicas quam Ecclesiasticas componendas & sopiendas: ad Jubilæum geminum celebrandum: Pupillam Confessionis Augustanae defendendam: technas & insidias hostium Christi detegendas & cautè evitandas: expulsos ob Fidei Confessionem & reci- piendos & sustentandos: & alia plurima prudenter peragenda: Quæ omnia *Sere- nissimus Elector* noster Herculeò planè labore, DEO vires & robur sufficiente cum immortalis nominis gloria superavit, ex voto tandem PACIS beneficium consecutus, plurimis interea temporis aliis inter pacis suspiria expirantibus, non paucis fugâ hinc inde agitatis, quibusdam etiam sede paternâ planè ejectis. De quo tanto bono *Serenissimo Electori* nostro meritissime gratulamur ex animis, & ut perpetuum illud sit, DEUM precibus devotissimis obtestamur.

Non verò putandum est, fortuito hæc talia obtingere terrarum Dominis: Maximam hujus felicitatis partem Pietas sibi vindicat, quæ & hujus & futuræ vi- tæ promissionem habet. Felix Resp. inquit Cominæus, in qua, qui imperat Prin- cept, DEUM timet. Pietati qui deditus est, reliquas habet virtutes omnes, avelli enim hæc ab illa non magis possunt, quàm umbra à corpore, quòd in Sole versatur. Nec conferunt nihil ad ejusmodi prosperitatem Boni Consilarii, quos quasi per *συγκατάθεσιν* amicos appellabat Alexander Severus: Familiares *Fridericus I. Ele- ctor*. Optima illi sunt Imperii instrumenta, multa enim, quod habet Livius, quæ natura impedita sunt, consiliò expediuntur. Agamemnonem scribit Homerus, non Achillis, non Ajacis fortissimorum Heroum: Sed Nestoris ætate gravis & ju- diciò, virtuteque pollentissimi Oratoris similes decem sibi optasse *συμπερίδρομας*, quorum prudentiâ maximus se res perfecturum confidebat: Præfidiis ejusmodi ne destituatur sedulò cavet *Serenissimus Elector*, verâ pietate puroque Religionis Evangelico-Lutheranae cultu nihil habet prius, nihil antiquius: Consiliariis mu- nitur tam Politicis quàm Ecclesiasticis pietate, prudentia, fidelitate eminentissi- mis, quorum precibus, vigiliis, labori & industriæ ardua Religionis & Regionis negotia committit, in quorum sinus quæ habet arcana, tutò effundit, quorum con-

Sleid. Com- ment Lib. XX. & XXI.  
Thuan. Lib. V. p. 229. Sleid. lib. XXIV.  
Thuan. lib. X. p. 487.  
Præfat. libri Concord.  
Præfat. lib. Concor.

1. Tim. IV, 8.  
Philo L. de ca- ritate.  
Micips. ap. Sa- lust.  
Lib. XL.  
Iliad. II.

filiis



filii quasi oraculi cuiusdam responsis fretus rem hactenus benè gesit, & ad eam de qua jam diximus felicitatem latâ omnium Bonorum acclamatione ascendit.

Ex his omnibus jam intelligere est, Auditores, quod *Serenissimi Electoris Saxonie Johannis Georgij Natalè septuagesimum* lætum & hilarem hoc ipso die sumere jubeat pietas, rei postulet æquitas, flagitet publica honestas, suadeant beneficia maxima, quæ per illum in Universam Remp. Christianam & collata sunt, & conferuntur hodie, & ut illa imposterum conferantur quàm diutissimè, ad vota & preces nos convertimus: Te igitur ô DEUS Pater misericordiarum, qui dies supra dies Regi adjicis: annos ejus usque in generationem & generationem, Te ardentissimis gemitibus invocamus, mitte *Illi* auxilium de sancto: & de Sion tuere *Illum*. Tua, ô DEUS, suavissima est promissio, usque ad senectam ego ipse, & usque ad canos ego portabo. Ego feci & ego feram, ego portabo & salvabo. Ego confirmavi columnas terræ. Suscipe tu *septuagenarium nostrum Electorem* ulnis tuis portandum, protege *Illum* in die tribulationis, Justum ut palmam florere, in ipsa senectâ germinare jube: Tribue *Illi* secundum cor illius, & omne consilium *Ejus* confirma, Longitudine dierum reple *Illum*, & ostende *Ei* salutare tuum. Domine serva, Rex exaudiat deprecationem nostram per Mediatorem nostrum Jesum Christum. Tu verò Sancte Senex, *Serenissime Elector Johannis Georgi, Pater Patriæ Optime Maxime, Princeps, Friderici* sapientiâ: *Johannis* constantiâ: *Johannis Friderici* fortitudine: *Mauritij* magnitudine: *Augusti* pietate: *Christiani I.* magnanimitate: *Christiani II.* munificentiâ omnium maximè conspicuè, unò verbò, *Princeps Pacificæ, Felicissime*, salve! vive! vige! prosperè, diu, feliciter. Tu post plurima & maxima in Remp. Christianam merita nos alter velut Calebus animosissimus ex longa Bellorum servitute DEI beneficiò tuisque laboribus & vigiliis immensis eductos comitaris, solaris, tutaris! Pectorum nostrorum angustia ingentium meritorum magnitudinem non capiunt,

— — — grates persolvere dignas  
non opis est nostræ!

Vota & preces rem expediant. DEUS exaudiat, *Tibi*que decernat, quid? data Calebi pietati præmia: longævam vitam, fortitudinem & virtutem in senectutem usque summam permanentem: tandemque sed serò & non nisi Vitæ futurum in promissam Canæ Cœlestis hæreditatem Te introducat. Dixi.

F I N I S.



ad eam  
ascen-

lectoris  
die fu-  
t bene-  
unt, &  
vota &  
dies fu-  
Te ar-  
n tuere  
& usq;  
o con-  
nis tuis  
ipsa fe-  
us con-  
e ferva,  
ritum.  
me Ma-  
rtitudi-  
ristiani  
Felicis-  
Remp.  
llorum  
nitaris,  
agnitu-

d? data  
tutem  
a-





~~A~~  
C. 3532 A

FLCA

nc







ULB Halle 3  
004 810 511  






2, 67.

1.322

ON

NATALEM  
SERENISSIM  
PRINCI

JOH  
GE

DUCIS SAX  
CLIVIAE AC  
PRÆFECT  
EL

Patris Patriæ opti  
Ecclesiæ & sc

*in illustri Gymnasio Saxo  
ejus Natal*

DANIELE L

*Excusa*



IS

ACI,  
R. I.

Nutritij

ITATIS

